

Q. D. B. V.

IOAN. FRANCISCI BVDDDEI,

THEOL. D. ET IN ACADEMIA IENENSI P. P. O.

PRÆFATIO,

IN QVA DE GENVINO INTERPRETANDI SCRIPTV-  
RAM PRINCIPIO DISSERITVR, RICHARDI SIMONIS DE B.  
SAL. GLASSIO IVDICIUM EXPENDITVR, ET HANC EDI-  
TIONEM RELIQVIS OMNIBVS PRAESTARE,  
DEMONSTRATVR.

**D**E philologiae, quam vocant, artiumque eo spectantium, in scriptura sacra rite interpretanda, vtilitate pariter ac necessitate, non vnam omnium esse sententiam, non mirabitur, qui secum cogitat, nec de ipso sacras litteras interpretandi principio viros doctos inter se conuenire. Immo hinc intelligere licet, cur, vt alias, ita et hic nonnulli ad extrema, quae in vitio posita sunt, procurant, nec medium, quod hominum sapientum est, teneant. Qui enim traditionem auctoritatemque vel patrum, vel ecclesiae, pro regula ac norma venditant, ad quam scripturae sacrae instituenda sit interpretatio, non est, vt de arte critica, aut grammatica, similibusue hermeneutices subsidiis, multum sint solliciti. Quicumque enim hinc resultauerit sensus, verus tamen non erit, nisi traditioni patrumque explicationi responderit. Et cur in hisce omnibus addiscendis, aut scripturae sensu operose inuestigando multum quis operae atque laboris collocaret, cum via breuissima sit cuncta expediendi, si quis scripturam ita intelligat, prout ecclesia intelligit. Nec aliter de illis existimandum, qui reuelationes immediate a Deo profectas, aut lumen aliquod internum a ratione diuersum, pro interpretandi scripturam principio habent. Hi enim, vt ex linguarum notitia atque philologia parum aut nihil lucis, quippe quam aliunde expectant, ad sacras litteras recte intelligendas adferri posse putant; ita haud raro ista studia aperte damnant, et alto supercilio contemnunt, plusque damni, quam commodi ex iis ad scripturae tractationem redundare, profitentur. Atque hi quidem in vno extremo consistunt. Ad alterum vero procurant, qui semel secum constituerunt, nihil admittere, quod ratio capere nequeat; hinc, quicquid humanae eruditionis adparatus suppeditat, id omne eo conferunt, vt ex scriptura sacra profcribant, quicquid rationis modum limitesque excedit, non explicantes illam, sed peruerentes, misereque detorquentes. Plus ergo, quam decebat, hi interdum hermeneutices subsidiis tribuunt, aut, vt rectius dicam, iisdem turpiter abutuntur, cum illi contra ea in minimis ponant, saltem non possint non pro superuacaneis et inutilibus habere. Vtrosque in magno versari errore, certum est: idque paucis ostendere, operae pretium fuerit, vt, quae commoda philologia sacra adferat, quisue legitimus eius vsus sit, luculenter patefcat.

Vt ab illis initium faciam, quos vltimo loco commemoravi, Socinianos et antitrinitarios quosuis, aut qui frigidam illis suffundunt, in hacce versari opinione, constat, admitendum nihil esse, quod ratio capere nequeat. Hinc passim in illorum scriptis eiusmodi voces legas: *nihil credi posse, quod a ratione capi et intelligi nequeat; implicare contradictionem, si quis pro articulo fidei aliquid habendum contendat, simulque asserat, illud rationis caput excedere; si quid credendum sit, id a ratione capi debere, et quae alia sunt eiusdem generis,*